

nimirum is circa Hypochondria cumulat, indeq; vapores conge-
nere ad cerebrum mittit, spiritusq; animales corrumpit ac obfuscet,
adq; munia sua obeunda ineptos reddit, functionesq; principes per-
eas, ut instrumenta proxima, exequendas, depravat ac interturbat.
ALTERIUS vero, utpote maniam, affectum profus diversum produ-
centis, consideratio, non est hujus loci. Quanquam docente ita
Galen. Hippocr. aph. 21 & 56. S. 6. improprie vocabulo manias nostrum
indigitet.

HYPOCHONDRIACA vero dicitur; quod ex locis istis hoc nomine
appellatis, originem trahat ac prodeat, materiaq; ac materia, hunc
affectum, ut sui prolem producat, ibi genita sit ac sedem habeat.
Senn. l. 2. inst. p. 3. S. 2. c. 4. & lib. 1. pr. p. 2. c. 12. Arabibus vocatur MIRA-
CHIALIS MELANCHOLIA, quod causa ejus in Mirach, id est, infimo ven-
tre, consistat. Graecis Φυσώδης ac vulgo FLATULENTA appellatur. Quod
qui ea laborant, crebris ructibus ac flatibus in ventriculo ac inte-
stinis collectis, molestentur. Celso PRÆCORDIALIS dicitur, quod præ-
cordia occupet.

APHOR. II.

Melancholia Hypochondriaca in strictâ non
latâ significatione hic accipitur.

κόλιον.

HYPOCHONDRIA variorum morborum, ac innumerorum ferè af-
fectuum causam in se continere ac fovere; plurimisq; corporis no-
stri calamitatibus morborum fomitem inde suppeditari posse; exq;
collectis in iisdem vitiosis humoribus, ejus decus variis modis de-
turpari ac vigorem destrui, apud omnes Medicin. proceres in con-
fesso est: ut rectè *Fernel. lib. 6. d. part. morb. ac Symptom. c. 7.* dicat, *Ego
hoc affirmo & profiteor, Cholera, melancholia, atrophia, diarrhaea, dysen-
teria, cachexia, langvoris, lentarum ac eruntium febrium, latentium de-
nig. morborum causas me his in sedibus plerumq; adinvenisse.* Cujus sen-
tentia quoque *Joan. Freytag. in tract. german. d. melanchol. hypochondr.
c. 2.* subscribit: & *Celeberr. Senn. l. 3. pr. med. p. 5. c. 1.* inquit: *Omnino
pauci morbi sunt, qui non ex hisce locis habeant originem.* Attamen, pro
humoris vitiosi naturâ, partisq; affectæ ratione, isti omnes pluri-
mum inter se variant. Potissimum vero duo, ex his locis procedentes
affectus,

mirach
mirach

affectus,